Borovius Alberti: Quaestio de peccato originali.

QVÆSTIO
DE PECCATO
ORIGINALI.

Ab

ALBERTO BOROVIO S. TH. IN Academia Cracouien: Professore, S. Floriani Canon: in eadem Acad: die VII. Iulii publicè ad disputandum proposita.

Præsidente

ADMODVM REVERENDO D.

MARTINO CAMPIO VADOVIO
S. Th. Doctore & Professore, Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Præposito.

CRACOVIÆ

In Officina Typographica Francisci Cesarij. Anno Domini. 1620.



Regum insignia sceptra bina cernis,
Stemma nobile nobilis Lycæi
An quod Rege sit hoc parente natum,
An quod curæ animoquè Regibus sit,
An quod adiuuet in regendo Reges,
An quod imperium stet hoc Lycæo,
An quod imperio educet iuuentam;
An quod qui sapiens sit, iste sit Rex:
Da quodcunquè placet: mihi videtur
Regni antistrophon huius hoc Lycæum.

4

QVÆSTIO
De Peccato Originali.

VTrum Peccatum originale & radicale magis naturæ quàm personæ, in omne genus humanum æqualiter, & in Essentiã per prius, quàm in potentias animæ sit diffusum; ac non modo originali iustitia, & gratuitis donis reddat spoliatum; sed etiam naturalibus vulneratum tantoperè, vt necessariò opus habuerit, Verbi Dei incarnatione?

CONCLVSIO I.

Peccatum à primis parentibus nostris commissum originale & radicale, ideoq; quasi naturale, magis est naturę quâm personæ.

COROLLARIA.

1. *Priuatio quæ consequitur peccatum actuale in adultis, est poena non peccatum, in peccato autem originali ipsa priuatio constituit peccatum.*

2. *Peccatum vniuocè prædicatur de actuali & originali, vt est priuatiuum vtrumque & consideratur in genere mali simpliciter.*

3. *Peccatum originale est carentia primæuæ iustitiæ, & est verè & propriè peccatum, habens voluntarium sufficiens ad constitutionem peccati.*

4. *Peccatum originale non potest constitui in priuatione iustitiæ primæuæ, secundùm se, sed secundùm illius primarium effectum.*

5. *Peccatum originale sumptum pro materiali rectè concupiscentia dici potest.*

CONCLVSIO II.

Peccatum primorum parentum in omnes posteros secundùm vtramq; rationem eius, positiuam & formalem, est æqualiter diffusum.

COROLLARIA.

1. *Peccatum primi parentis non vt hominis priuati, sed communis, est æqualiter in omnibus.*

2. *Peccato originali solum illi qui per concupiscentiam generantur, sunt obnoxii.*

Par-

3. *Paruuli ideo dicuntur formaliter peccasse, & Dei inimici quia illis in est peccatum originale à primo parente contractum.*

4. *Miraculosè ex carne humana si esset formatus homo, esset obnoxius ideo peccato originali, quia esset particeps vitiatæ naturæ.*

5. *In quo instanti peccauit Adam actualiter, in eodem omnes homines naturaliter geniti, peccauerunt originaliter.*

CONCLVSIO III.

Originale peccatum est in Essentia animæ subiectiuè, ideoque vocatur peccatum naturæ.

COROLLARIA.

1. *Non tamen excludimus originale peccatum à potentiis.*

2. *Originale peccatum quatenus est in animæ potentiis, est primariè in anima, quàm in voluntate.*

3. *Potentia generatiua & concupiscibilis, sunt specialiter infectæ, vnde ab illis tanquam à fontibus originale peccatum sumit originem.*

4. *Non tamen asserimus infici animam à carne, cum caro corporalis spiritum inficere non possit.*

5. *Secundum sanum sensum Doctorum, admittimus animam eatenus infici à corpore, quatenus per generationem efficitur pars hominis.*

CONCLVSIO IV.

Genus humanum non modo spoliatum est per peccatum originale donis gratuitis, sed etiam in naturalibus vulneratum.

COROLLARIA.

1. *Vulnerari naturam humanam est diminui naturalem inclinationem in homine ad bonum.*

2. *Recepta est apud Theologos vetustissimos distinctio, diminutionem aliam esse Entitatiuam & intrinsecam, quæ hic non habet locum: aliam extrinsecam per appositionem impedimenti, qualis est hoc loco.*

3. *Peccatum originale cum sit formaliter priuatio prædicta, & consistit in genere auersionis non conuersionis, non potest generare vllam qualitatem vitiosam.*

Spoliationem

4. *Spoliationem seu priuationem donis naturalibus esse causam modo suo, quod humana natura virtute seminis producta, subiaceat peccato originali.*

5. *Propter eandem priuationem iustitiæ originalis, tenemus nullam requiri morbidam qualitatem superadditam semini ad traductionem peccati in posteros Adæ.*

CONCLVSIO V.

Verbum Patris æternum, ad sanandum genus humanum necessariò fuit missum.

COROLLARIA.

1. *Cum hac tamen necessitate incarnationis stat commodè Deum omnia extra seipsum facere, non natura aut necessitate, sed voluntate & liberè.*

2. *Incarnatio est humanæ naturæ cum persona Verbi Dei substantialis vnio.*

3. *Veraciter profitendum est, redemptionem generis humani alio modo, Deum perficere potuisse, si voluisset.*

4. Incarnatio

4. *Incarnatio Verbi non minus propter actuale peccatum, quàm propter originale facta est.*

5. *In ordine ad quendam certum finem, necessaria fuit incarnatio Verbi aut alterius personæ Diuinæ.*

Permissu Admodum Reuerendi & Magnifici Domini.

IACOBI TVROBOYSKI DE Turoboyce, S. Th. Licentiati, Ecclesiarum Collegiatarum SS. Omnium Præpositi, & S. Floriani Decani, Vniuersitatis Crac: RECTORIS.